



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 10. Seripandus data ad Borromæum epistola sese purgans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

imposterum alii ejusmodi promissa sibi fieri essent petaturi, quin ultra fidei eis datae rationem haberent, aut tanti confessus dignitatem revererentur: itaque hanc ob rationem Legati suam mutabant sententiam.

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

§. X.

Seripandus data ad Borromæum epistola sese purgans.

Cum interea Tridentini Patres Pontificis jussa exequi sedulo adlaborarent, Seripandus de tota rei gestæ serie articulatim Borromæum Cardinalem edocere statuit, ut non modo suam, sed & Mantuani Cardinalis innocentiam vindicaret, ac insuper modeste refelleret, quicquid forte a Simonetta adversus utrumque fuisse perscriptum suspicabatur: de cetero autem Seripandus Borromæi Cardinalis prudentiæ relinquebat, utrum Pontifici vel integram ipsius apologiam, vel quamdam duntaxat illius partem, prout ipsi bene visum fuerit, proponere vellet, dummodo ea res ceteris non communicaretur. Porro Seripandus suæ defensionis initium sumpserat enarrando ea omnia, quæ post secundam Sessionem sub Pio IV. habitam gesta fuere, hancque in rem ita perorabat: „Eo tempore Cæsarei moram quoad dogmatum discussionem

Pallav. l. 16.
c. 9. n. 1. §
129.

Hist. Eccles. Tom. XLV. B effla-

Sæcul. XVI
A.C. 1562.

„efflagitabant, obtentu quæsito, quod
 „Præfules expectarentur ex variis natio-
 „nibus, ex quarum aliis nondum quis-
 „quam pervenerat, ex aliis autem per-
 „pauci, interim petebant, ut de di-
 „sciplina ageretur; equidem nos illis
 „resistebamus, rati, argumenta, dogma,
 „& disciplinam concernentia nunquam
 „esse sejungenda: verumtamen a Pon-
 „tificis fuerimus postea jussi, ut Cæsa-
 „rianis gratificaremur: cumque ab eo
 „perscriptum nobis fuisset, ne sineremus
 „ad moveri manum emendationi Aulæ
 „Romanæ, quam sua Sanctitas per se
 „corrigere habebat in animo, hinc ne-
 „gotium dedimus Castanæ, Boncom-
 „pago, Paleotto, & Castello, ut ab
 „Episcopis exquirerent rerum capita,
 „circa quæ adhucdum Ecclesia cor-
 „rectionis indiga censeretur: porro
 „ab his quatuor Episcopis postea rela-
 „tum fuit, aliud quidquam non audiri,
 „nisi ea, quæ sedentibus Paulo III. &
 „Julio III. fuerant agitata: interea a
 „nonnullis Italiæ Episcopis catalogus
 „fere nonaginta capitum ad nos fuit de-
 „latus, quem ego ipse Romam trans-
 „misi: porro ut Patribus satisfaceret, &
 „Sessionis dignitati consulere, a me
 „petentibus, quos diximus, Patribus
 „selecta fuere octodecim ex tot capiti-
 „bus, quæ ipsis magis opportuna vide-
 „bantur,

„bantur, demum vero ab hisce octo-
 „decim articulis postea fuere duode-
 „cim excerpti, qui a nobis quoque com-
 „muni consensu fuerant comprobati, at-
 „que Cæsareis communicati ab iisdem
 „pariter rati habebantur. His ita per-
 „actis, cum jam proponenda res erat,
 „a Cardinale Mantuano (*) significatum
 „fuit Musotto, qui ipsi a secretis erat,
 „tumultus periculum, quod ipse formi-
 „dabat in eo primo articulo, in quo de
 „remedio Pastorum absentiae adhibendo
 „agebatur; id vero cum a nobis cete-
 „ris Legatis audiretur præter omnem
 „expectationem nobis ea res accidit,
 „cum eidem, eoquod hæc argumenta ad
 „Canones spectarent, isque Romanis
 „in Tribunalibus magis expertus esset,
 „a nobis enixe commendatum antea
 „fuiſſet, ut eos omnes articulos ma-
 „ture perpenderet, quos omnes ipse
 „etiam Simonetta Cardinalis approba-
 „bat. Postea subjunxit Seripandus:
 „consulente ipsomet Simonetta decre-
 „tum, ne de residentiae articulo, aut
 „de oppositione adversus hoc caput a
 „Cæsareis facta mentio fieret, demum
 „vero mutata est Patrum sententia. His
 „expositis Seripandus singula circa hoc
 „argumentum in nupero Conventu pro-
 „posita

B 2

posita

(*) Pallavicinus habet: *Simonetta*.

Sæc. XVI.

A.C. 1562.

Sæcul. XVI
A. C. 1562.

posita enarrat, atque præ ceteris sententiam refert Granatensis Archiepiscopi, qui Pastores nulla alia ratione ad residendum efficacius compelli posse aiebat, quam si hæc lex juris divini esse definiatur: verum, prosequeretur Seripandus, „nimia opinionum varietas, ac prolixius differendi libido nos „Legatos eo adegerat, ut Patres roga- „remus, quatenus deinceps solis ver- „bis *Placet*, vel *non placet* suam mentem panderent, ut hac ratione unanimes esset consensus, aut saltem nullus aperte dissensisse videretur.

Denique Seripandus ad accusationum capita, quæ contra Legatos Romanam mittebantur, respondens illa ad tria reducebat capita, quorum primo accusabantur, quod tunc, cum suffragia declarationi adversantia majori in numero essent, illa res tunc potuisset absque nova suffragiorum collectione absolvi: porro ad hoc respondebat ille; eorum, qui declarationi obstabant, an major fuerit suffragiorum numerus, haud liquido patere potuit propter indicatam confusionem atque opinantium tumultus: alterum vero accusationis caput erat hoc, quod Legati Archiepiscopo Granatensi, ejusque fautoribus permisissent, ut moveret hanc quæstionem, quæ tamen dogma, non autem disciplinam

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

plinam respicit: verum ad hoc modeste Seripandus respondit: „primi Legati munus deposcebat, ut in rebus dubiis Patres regeret: ex adverso autem mihi persuasum est, quod Cardinalis Mantuanus nequaquam suo officio defuerit, cum ab Archiepiscopo Granatensi ea quæstio fuerit concinne conjuncta cum articulo proposito; hic enim contendebat, quod id unicum ad resistendum morbo, cujus sanatio proponebatur, remedium esset, nec ex eo, quod res ad dogma spectaret, omnis discussio, etiam sub conditione facienda prohiberi, sed solum effici poterit, ne illius examen inferioribus Theologis committeretur, quos omnes ajebat ille affirmanti parti adherere. Denique ut primum Præsidem excusaret, adjunxit, a Papa per Cardinalem Borromæum ipsis antea significatum fuisse, quod tunc, si caput illud evitare pacifice non possent, Synodi Patrum libertati expendendum relinquerent, adeoque cum tam multi illius examinis cupidissimi conspicerentur, id satis fuerit, ut Mantuanus existimarit, se voluntati Pontificis obstiturum, si privata sua auctoritate torrentis impetum cohiberet.

Tertio loco Legatis objectabatur, quod potius iis, quæ in Synodo circa

B 3

resi-

Sæcul. XVI. A. C. 1562. residentiam sub Paulo III. facta fuere, insistere debuissent: ad hoc reposuit Seripandus, quod hæc ratio nimis infirma videretur contra novum hujus quæstionis examen, cum compertum fuerit, pœnas, quæ transgressoribus imponebantur, adeo imbecilles evasisse, ut harum metu Pastores in suo officio contineri haud amplius potuerint, proin remedia magis efficacia adhiberi decuerit: quapropter prosequabatur Seripandus, optarem, ut residentia Lex juris esse divini decideretur, cum id in gloriam Dei, ac Pontificis honorem cedere existimem.

Postquam Seripandus in causa ceteris etiam sociis suis communi sese defenderet, ad nævos sibi speciatim objectos descendit, & præprimis respondit ad ea, quæ ipsi a quodam imputabantur, perinde ac si hujusmodi opinionem promovisset per immoderatum animi Zelum, ac studium, necnon per peculiarem suam cum primo legato amicitiam, & per sollicitationes pene violentas apud Episcopos amicos suos, qui Sedi Apostolicæ parum propensi videbantur: cunctas itaque hæc criminationes hunc in modum diluit: „nunquam seorsim cum Cardinale Mantuano „ita collocutus sum, ut occultam eum „eo communicationem me fovisse, suspicari

„spicari liceret; insuper ægre mihi ac-
 „cidit, insimulari Romæ Patres aliquos
 „egregia probitate claros, quasi protu-
 „lissent sententiam minus reverenter in
 „Apostolicam Sedem, ac præsertim ro-
 „gor a Senogallensi Episcopo, & ob-
 „stringor ab ipsa rei veritate ad testifi-
 „candam hujusmodi calumniæ in eum.
 „Præsulem latæ falsitatem, ceterum
 „doleo, quod variæ literæ circumfe-
 „rantur, seu veræ, seu fictæ, tanquam
 „a viris primariis Roma missæ, quæ
 „gratiam, ac remunerationem iis, qui
 „declarationi propositæ obstiterant, pol-
 „licebantur, & alienationem ab iis,
 „qui eidem consenserant, præseferabant:
 „quam primum vero mihi Pontificis
 „consilium innotuerat, quo petebat, ut
 „tunc, si citra perturbationem posset,
 „aut disputatio in perpetuum præcide-
 „retur, adhibito aliunde remedio Pa-
 „storum residentix per graviores pœ-
 „nas violatoribus impositas, aut trans-
 „ferretur in tempus opportunius, quo
 „animi tranquilliores evaderent, omni
 „studio Papæ voluntati obsecundare,
 „ejusque jussa exequi sollicitus eram.,,
 „His rationibus sese purgabat Seri-
 „pandus: postea vero Amulius ipsius
 „amicus, ac Pontifici percarus die nona
 „Maij haud obscure eidem Papæ affectum
 „erga ipsum significabat, atque post ali-

B 4

quod

Sæcul. XVI.
 A.C. 1567.

Sæcul XVI.
A. C. 1562.

quod tempus Seripandus, postquam suam apologiam ad Pium IV. transmiserat, die decima sexta Maij Amulii epistolam iussu Borromæi Cardinalis intimi sui Amici scriptam accepit, in qua hæc habebantur: „nominatim accusaris, per- „inde acri auctor existisses, illius tumul- „tus, quem quæstio de residentia ex- „citavit, & quamvis hujus rei originem, „causamque sermoni Granatensis Ar- „chiepiscopi tribuendam esse respondi- „sem, Borromæus tamen opposuit, quod „tu jam antea hac de re admonitus fue- „ris, ac nihilominus hunc articulum „proponi volueris: porro inde Simo- „nettæ suspiciones adversus te, ac Car- „dinalem Mantuanum adeo fuerunt „auctæ, ut Simonetta totam rem Ro- „mam perscribere, ac suorum sociorum „agendi rationem carpere compulsus „fuerit.”

Nec vana penitus erat hæc suspi- cio; quippe Pallavicinus binas hujus Cardinalis epistolas ad Borromæum re- fert, quarum prima scripta est vigesima Aprilis, quæ ipsamet dies est, in qua celebris illa habebatur Congregatio, ubi hoc negotium vehementer fuerat agitatum: altera autem data erat die decima quarta Maij, in qua Sessio ter- tia fuit celebrata. In hisce literis Si- monetta Papam, ut novos Legatos Tri- den-

dentum mitteret, hortabatur, ac Mantuanum, & Seripandum Cardinales incusans Episcopos, qui hujus quæstionis decisionem petebant, insimulabat, quod adversus Dominum, & adversus Christum ejus conspirassent. Denique Mutinensem Episcopum tanquam turbidi ingenii Virum, ac tricarum studiosum traducebat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

§. XI.

Papæ sententia de residentia, necnon ejus consilium de emendandis quibusdam corruptelis.

Fervente Tridenti hac contentione Pontifex plures conventus Romæ haberi jussit, in quibus Cardinales ad sistendos mali progressus varia proponebant media, quamvis vero articulus de Episcoporum residentia Pontificis, ac Cardinalium auctoritati derogare crederetur, nihilominus Pius IV. in quodam Patrum Senatu declarabat, sibi videri, quod sententia Episcoporum, qui Residentiam ex jure divino descendere contendunt, validis inniteretur rationibus, eaque lex in omni eventu observanda esset. Eadem quoque Insulanus ad Lanfacum, qui tum in itinere ad Synodum constitutus erat, perscripsit, atque in literis suis hæc addidit: „Papa, ut Cardinalibus satisfaceret, pollicitus

Lett. de l'Isle au Lanfac
9. Maij.
Mem. pour le Concil. de Trente
p. 183.